





B. N.
309.

Xm. 195.

15
DISPUTATIO
DE
SIMPLICIUM
MEDICAMENTORUM
FACULTATIBUS

XIV.

*Ex Capitibus 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.
Libri quinti Galeni de simplicium
medicamentorum facultatibus
conscripta:*

ET

Publici exercitij gratia in inclyta Argen-
toratensium Universitate proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO,
DOCTORE ET PROFESSORE
Medicinæ, Comite Palatino Cæsa-
reò, ac Reipubl. Archiatro:

Respondente

CHRISTIANO BRICCIO,
Grünberga. Silesio.

1661

ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. LI.

DE
SIMPLICIUM
MEDICAMENTORUM
FACULTATIBUS

XIV.

Ex Capitulis 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Libro primo Galeni de simplicibus
medicamentorum facultatibus

scriptis

Et

Publici exercitii in indicis Algeri
coratendum Universitate propositis

MELCHIORE SEBISIO
DOCTORE ET PROFESSORE

Medicinis, Comite Palatino Celsi

1607, ac Regibus Archiducibus

Reverentibus

CHRISTIANO BRIGLIO

Caesari ac Siculo

1611

CAROLUS V. CAESAR

FRANCISCVS I. REX

M. DC. LI.





PROBLEMA

I.

Quænam sint illa, quæ Galenus, librum quintum orsurus, hypotheseon loco præmittit? Priusquam ordiatur librum quintum, quedam, quæ precedentibus libris demonstrata sunt, præmittit, eaque, velut hypotheses quasdam, ad illa, quæ dicenda sunt hoc libro, adhibet.

I. est: quatuor esse elementa, Ignem, Aërem, Aquam, & Terram, quæ nonnulli à qualitatibus primis denominant, & calidum, frigidum, humidum, siccumque appellant.

II. corpora dici calida, frigida, humida & sicca, vel simpliciter & absolute, ut 4. elementa: vel per exuperantiam: rursusque aut sine, aut cum comparatione: & comparari vel cum alio, quod est ὁμογενές, ejusdem generis, vel quod est ὁμοειδές, ejusdem speciei, vel cum quovis obvio.

III. Nutrimentum differre à medicamento, quod illud vincatur & superetur ab eo, quod nutritur: istud vero ipsum corpus, quod nutritur, vincat & superet.

IV. Medicamentum alterare corpus nostrum

Ll 2

vel

vel qualitate manifesta, eaque aut una solùm,
calida sc. frigida, humida, aut sicca: aut duabus:
vel occulta, seu, ut Galenus loquitur, tota sub-
stantia, quod faciunt complura deleteriorum, seu
lethaliū medicamentorum genera, nec pauca
alexiteriorum, omnia item cathartica, ac pleraq;
eorum, quæ ἰατροπασικά, extrahentia nuncupan-
tur: de quib. quæ reliqua sunt, infra dicentur:
quæ verò unâ duabusve qualitatibus in nos a-
gunt, hoc quinto libro exponentur.

V. pleraque medicamenta simplicia esse ἀνο-
μοιομερή, & reverà σύνθετα. Vocari autem sim-
plicia ἢ φύσει ἴδια ἢ ὑπάρχον, οἷά περ ἐστὶν, ἢ ἴδιον
ἐξ ἐπιλεχνησῶς ἢ μελέρας προσειληφότα, quæ cuius-
modi sunt, talia natura sunt, nec quicquam ex
arte & industria nostra assumserunt.

VI. Quaedam simplicia ratione substantiæ esse
παχυμερῆ καὶ γῆδον, crassarum partium & ter-
rena: quedam verò λεπτομερῆ καὶ ἀερώδον, tenuium
partium & aërea: quedam denique ὑδαλώδον καὶ
μίσα inter modò dicta. Lib. 5. c. 1.

II.

Quis sit usus medicamentorum? Usus est,
ut morbi eorumque causæ pellantur. Quemad-
modum verò morbi sunt varij, nimirum intempe-
ries, mala compositio, & continui solutio, ita va-
ria sunt medicaminum genera, quæ illis meden-
tur. Declarat hoc Galenus multorum medica-
mentorum exemplo. Usurpant, inquit, illa, ut
aut refrigerent, aut humectent, aut calefaciant,
aut

aut siccent, aut per συζογίαν, conjugationem
horum quid agant, h. e. ut vel calefaciant &
siccent: vel calefaciant & humectent: vel re-
frigerent & siccent: vel refrigerent & hume-
ctent. Interdum quod supra modum est κεχα-
λασμένον, laxatum, ἐπιλείνοντα καὶ συνάγοντα.
contendunt, cogunt, & coarctant: quod est συντε-
ταμένον, intensum, χάλοντα, laxant: quod πεπυ-
κνωμένον, condensatum, ἀραιῶσι, rarefaciunt: quod
μακρὸν rarem, πυκνῶσι, condensant: quod σκληρὸν,
durum, μαλατῶσι emolliunt: quod immodicè mol-
le est, σκληρῶσι, ἢ σκληρῶσι, indurant: quod
πλήρες, plenum est, κενῶσι, vacuant: quod κενόν,
vacuum, πληρῶσι, implent: aut huius generis
aliud aliquid agunt. Lib. 5. c. 2.

III.

Utrum plebeiis, idiotis, & rerum medica-
rum ignatis notum sit, quibus medicamentis
morbi curari debeant? Respondet Galenus per
distinctionem. Ait, scire omnes, quomodo intem-
peries sint curanda. Intemperiem enim frigidam
nōrunt postulare calefacientia: calidam refrige-
rantia: humidam siccantia: siccam humectantia:
compositam intemperiem, quaecunque tandem sit,
duas contrarias requirere qualitates. Hoc omnes
sciunt idiotae, votique saepe compotes fiunt, & na-
tura duce harum intemperierum remedia pleriq;
inveniunt illorum. At phlegmones, scirrhi, oede-
matis, erysipelatis, putredinis, herpetis, gangraene
remedium nemo eorum invenire potest. Hoc enim

capitulum illorum excedit: estque solius Medicinæ
& Medici, harum agritudinum remedia indaga-
re. Lib. 5. c. 2.

IV.

An idiotæ aliquid, quod ad morborum
curationem spectat, præter antè dicta cog-
nitum perspectumque habeant? Respondet Ga-
lenus, novisse illos in multis quidem præsidia: at
præsidiorum materias ignorare. V. g. sciunt ca-
vum ulcus carne implendum esse: sordidum mun-
dificandum: æquale & impletum cicatrice obdu-
cendum: musculum durum emolliendum: ten-
sum laxandum: laxum contendendum: remedia
verò cavitates implentia, mundificantia, cicatri-
zantia, emollientia, laxantia &c. prorsus igno-
rant: norunt autem Medici docti ac periti. In-
venire quidem licet, inquit, quosdam ex plebe,
qui non secus ac Medici, calefacientia, refrige-
rantia, humectantia & siccantia cognita habe-
ant: idque tactus beneficio, quo talia inveniun-
tur. Nam quod napus & pyrethrum calefaciant,
portulaca & solanum refrigerent, aqua & oleum
humectent, acetum & aqua marina siccant, pene
omnibus non Medicis solum, sed & idiotis est ex-
ploratum. At facultatum, quæ paulò antè recen-
sita sunt, prorsus sunt ignari. Lib. 5. c. 2.

V.

De quibus ergò simplicium facultatibus
hoc libro quinto agendum? Cum libro 1.
& 2. Sophistarum ἐπιχειρήματα, argumenta &
ratio-

*rationationes refutaverit Galenus, & veram
indagandarum facultatum, quae simplicibus in-
sunt medicaminibus, rationem exposuerit, in
tertio missis Sophistis logicas explanavit questio-
nes, quarum enodatione quisquis instructus est,
omnium medicamentorum vires investigare po-
test. In quarto ostendit, quomodo ex saporibus
& odoribus qualitates & facultates eorum ex-
plorare liceat. Hoc quinto libro aliud ei pro-
positum est facultatum genus: nimirum secun-
dum, & tertium, imò & quartum: facultas scilicet
ab opere dicta ἀραιωτική, rarefaciendi, πυκνωτική,
condensandi, μαλακτική, emolliendi, σκληρυντική,
indurandi, ἐμπλαστική, illinendi, sive infarciendi,
ῥυπτική, detergendi, ἐλκτική, attrahendi, ἀποκρυσ-
τική, repercutiendi, χαλαστική, laxandi, σπαστική,
coarctandi, ἀναστομωτική, orificia vasorum reseran-
di, παχυντική, incrassandi, λεπτυντική, attenuandi,
ἀνώδυνος, dolores sedandi, ὀδυνηγά, dolores accer-
sendi, πεπτική, concoquendi, ἐκπονήτική, pus moven-
di, διαφορητική, per halitum digerendi, ιδρωτική,
sudores provocandi, καρωτική, soporem conciliandi,
ναρκωτική, stuporem faciendi, ὑπνωτική, somnum
excitandi, ἐκστατική, animum alienandi, σήπτική,
putrefaciendi, καυστική, urendi, διαβρωτική, eroden-
di, ἐσχαρωτική, crustam creandi, σχυτική, funden-
di, sive liquandi, πλιτική, densandi, κακοχύμους
ἐπίκρυστική, succum pravum attemperandi, καθαρ-
τική, purgandi, σαλτική, sistendi, τραχύνησα, ex-
asperandi, λειαινύσα, leniendi, ἐκφρακτική infarctus
liberandi*



liberandi, ἐμφορακλική, obstruendi. In specie autem
 ab opere ipso nomen suum acquisiverunt facultas
 ἐρηνικὴ, urinas sciendi, ἐμολικὴ, vomitum proritandi,
 ὑπακατικὴ, ventrem subducendi, λαπακλικὴ, lu-
 bricandi, ἐρρινὸς, per nares purgandi, ἀποφλεγμα-
 τικὴ, phlegma per os educendi, ἐμμήνων ἀγωγὸς,
 menses movendi, ἐμμήνων ἐπισχολικὴ, menses sup-
 primendi, γαλακτὸς, καὶ σπέρματὸς γονιτικὴ, ἢ
 σβετικὴ, ἢ τροκλήτικὴ, ἢ ἐπισχολικὴ, lac & semen-
 tum procreandi & extinguendi, tum provocandi
 & reprimendi. Huc accedunt facultates à par-
 tibus, quas alterant, denominata, ἡπατικά ab
 hepate, σπληνικά à liene, ὠτικά ab auribus, ὀφ-
 θαλμικά ab oculis, ὀδοντικά à dentibus, ισχια-
 δικά à coxendice, νεφριτικά à renibus, ἀρθριτικά
 ab articulis, πλευριτικά à costis, βηχικά, bechi-
 ca ab expectorando, λίθων θρυπτικά calculos com-
 minuentes, ποδαγρικά à pedibus.

Sic quaedam facultas dicta est σαρκωλική, à ge-
 neranda in ulceribus carne, ἐπελωτικὴ, ab indu-
 cenda cicatrice, κολλητικὴ, à glutinando, καθαρτι-
 κή, à purgando, καθαιρετικὴ, à detrahenda carnis
 excrecentia. In summa, sunt & facultates par-
 ticulares alia, quae ferè enumerari non possunt,
 si unicuique nomen suum à re, quam praestant,
 imponere velimus. Verùm κάλλιον καὶ μεθοδικώ-
 τερον εἶναι, praclarioris methodoque dignius esse
 Galenus arbitratur, si missa oratione tam pro-
 lixa, tamque ἀτάκτω, confusa, utilibus speciebus
 compositas medicamentorum facultates breviter

& compendio determinemus: v. g. si dicamus, ca-
 taplasmati ex farina triticea parato facultatem
 modicè tùm calidam, tùm humidam inesse, non
 vel διασυντικὸν, pus movendi, vel παρηγορικὸν, mi-
 tigandi, vel ἀνώδυον, dolorem sedandi, vel διαφο-
 ρτικὸν, laxandi. Similiter si affirmemus, iridem
 calidam esse, siccam, amaram, tenuiumque par-
 tium, & hisce qualitatibus tùm alia multa effi-
 cere, tùm etiam urinas ciere, menses movere, ma-
 terias pulmonum bronchiis inherentes expectora-
 re, pleuriticis, peripneumonicis, & empyis congrue-
 re, conferre insuper epilepticis, & spasmo, palpi-
 tationibus, tremoribus, rupturis, ac divulsis pro-
 desse: carne quoque cavitates implere, sinuosa
 ulcera (κόλπες) purgare, dolores lateris, jecoris,
 lienisue sedare, chæradas discutere, carne ossa im-
 plere (ἐξ ὀστέων ἀγεῖν σάρκας) mederi gonorrhœæ,
 utiliter fomentis uterum emollientib. & reseran-
 tibus permisceri, nevos, sive φάκεις, lentigines, &
 ophelidas detergere, inveteratum capitis dolorem
 mitigare, fœtum corrumpere & eijcere. Talis
 enim sermo & prolixus est admodum, & confusus
 qui breviter proponi potest, si dicatur, ut paulò
 antè monuimus, iridis radici tributam esse vim
 calefaciendi, siccandi, attenuandi, & abstergen-
 di, cùm amara sit, non quidem ἐσχάτως, extre-
 mè, sed ita, ut dulcedo quedam illi admixta ap-
 pareat.

Si quæras, quodnam discrimen sit, si v. g. di-
 camus, radicem iridis calidam esse, siccam, ama-

nam tenuiumque partium, & proferamus, non
hasce qualitates, sed effectus modo enumeratos?
Respondet Galenus, posteriorem modum Empiri-
corum esse proprium, quib. tantum τὸ ὄτι notum
est: priorem autem ἀνδρα λογικόν, rationalem
Medicum decere. Et illum nunc sibi propositum
esse, hoc nimirum libro quinto: posteriorem au-
tem libris sequentibus. Libr. 5. c. 2.

VI.

Qualia sint medicamenta διαπυρρῶν καὶ
μαλάττων, suppurantia & emollientia?
Anteaquam Galenus ad hoc quaesitum respondeat,
fatetur, ea omnia, quae 4. precedentibus libris
tradita fuerunt, ad pharmaceuticam artis par-
tem pertinere: quae verò hoc quinto explicantur,
ad therapeuticam spectare. Ideoque consilium si-
bi saepe fuisse, librum istum intactum praeferre.
Quod autem consilium mutavit, causas fuisse
duas: unam, quia artis initiati, qui praecipua
therapeuticae methodi assequi volunt, in ijs, quae
hoc quinto libro proponuntur, praexerceri de-
bent. Alteram, quoniam plerique amici, illi pra-
sertim, in quorum gratiam hunc tractatum con-
scripsit, petierunt, ut quinto libro manum admo-
veret.

Ad quaesitum autem respondet, utraque praesi-
dia calida esse & humida, sed modo diverso. Et-
enim pus moventia calorem corpori similitimum
producunt, neque adjuvantia, neque detrahentia
quicquam humiditatis: emollientia verò majorem
quam

quàm pro natura partis calorem accendunt, & nonnihil insuper humiditatis addunt. Lib. 5, c. 3.

Omnibus autem perspicua est ἐννοια, notio purmoventium. εἰς αὐτὸν γὰρ εἰσὶν ἢ διαπύσεις μεταβολῆ, est enim suppuratio in pur mutatio. Alia ratio durorum & mollium est. Hæc enim non unum quid sunt, ut pur movens, sed varijs modis dicuntur.

VII.

Quot ergo modis molle & durum dicantur? Sanè non uno modo. Ideoque cum aliquid durum vel molle statuitur, vocabula hæc distinguenda sunt. Dicitur autem aliquid durum aut molle tripliciter. I. ἀπλῶς, simpliciter, ut terra. II. per ἐπιπράτειαν, excessum, seu exuperantiam, ut unguis, calcar, cornu. III. ad σύμμετρον ὁμογενῆς, ἢ ὁμοειδῆς, sui generis, aut speciei, ut hoc animal, puta Elephas, aut hic homo, puta Hercules: aut πρὸς ὀτιῶν παραβαλλόμενον, ad quidvis obvium collatum: ut Diogenes ad Aristotelem. Pari modo molle dicitur, vel quod summè & absolutè tale est: vel quod tale per excessum: vel quod tale collatum cum συμμέτρῳ ejusdem generis, speciei, aut obvii cujuslibet individui. Lib. 5, c. 4.

VIII.

Quod duri & mollis significatum hujus sit loci? Quod tale est ratione hominis εἰς κατεσκευασμένον, optime constituti. Hic enim veluti κανὼν est & μέτρον, regula & mensura eorum.

eorum, que dura molliaque dicuntur. Nec tamen qualibet sui parte, sed cute duntaxat, & ea maxime, que est in vola manus. Hec enim temperata est, estque in ea tactus exquisitus. Ideoque index esse potest tactilium qualitatum, & consequenter etiam duritiei & mollitiei. Et que dura ac mollia dicuntur, respectu alicujus συμπερσογῶν talia dicuntur. Hoc autem hominis tactus est, & is quidem, uti modo dictum, vola manus. In hac enim tactus est perfectus & exquisitus. Quod durum, aut molle dicitur, per exuperantiam tale est, & tale dicitur respectu vola manus. Hec enim μέσος quaedam est. Et sic quoque tum Plato in Timæo, tum Aristoteles l. 4. meteororum docuerunt. Sic enim Plato, dura sunt, quibus nostra caro cedit: mollia vero, que carni cedunt. Nam cutem humanam τῶν γένην, genere carnem esse in eodem Timæo ostendit: h. e. quasi carnem quandam non prorsus exiccatam, sed mediam inter molles durasque partes. Sic vero Aristoteles, molle est, quod in se cedit: durum quod non cedit. Et sic idem cum Platone sentit. Uterque enim docet, ad tactum humanum, tanquam ad συμπερσογῶν & μέσων quoddam, de qualitatibus hisce judicandum esse. Cum igitur de duro & molli agimus, istis nominibus hunc in modum utimur: dura scilicet, & mollia dicentes ea esse, que per ἰσχυράτητα talia sunt, & quidem ratione cutis in vola manus hominis temperati, que & ipsa est temperata, & mediocritatem servat in tactilibus qualitatibus. Quod

Quod in comparatione ad quodvis obvium durum ac molle est, id in eo judicari videtur, quod magis minusque cedat.

Cum cutem nostram, aut musculum, aut partem aliam induratum dicimus, tunc illam tanquam præter naturam affectam conferimus cum ea, quæ secundum naturam se habet: estq; p.n. quando nostro tactui magis resistit, quam cum valeret. Ea igitur pharmaca, quæ partes præter naturam induratas ad pristinum & naturalem statum reducunt, μαλακτῶντα, emollientia vocantur. L. 5. C. 4.

IX.

Quot modis aliquid durius reddatur? Quatuor. I. ξηραίνόμενον, cum siccatur. II. ἀγγύμενον, cum coit, sive concrescit. III. ὑπερπληρέμενον, quando ita repletur, ut vehementer exinde distendatur. IV. κατὰ συζυγίαν τινα πάσχον, quadam harum causarum conjugatione, quam res passa. Siccitate redduntur duriora fenum ossa, cartilagine, & membra reliqua. Concretione duriora evadunt, quæ à frigore sunt congelata, ut nix, glacies &c. Repletione duriora redduntur utres inflati, ventres tympaniticorum & hydropicorum, partes scirrho, inflammatione, empneumatosi &c. tentata. Conjugatione duriora fiunt varijs modis: v. g. per siccitatem & tensionem: per siccitatem & concretionem: per tensionem & concretionem: denique per hæc omnia, siccitatem, concretionem & tensionem.

Et

Et hæc, quæ dictis modis induruerunt, non uno modo emolliuntur, sed sua cuique & propria est emolliendi ratio, quæ distinctè proponenda deinceps, si hoc præmonuerimus, quod nominum verborumque copia plerunque indecora non sit, illiberale autem ejus contrarium, cum scilicet necesse non est, ea distinguere. Sic enim & Plato docuit. Et nobis in præsens incumbit, ut τὸ σκληρὸν, duræ significationes patefaciamus: principio rursum ab ijs desumpto, quæ modo dicere desimus. Molle namque est, τὸ ὑπεκκινῶν εἰς ἑαυτὸ, quod in se cedit, siquidem corpus fuerit simplex. Nam quod non est unum & simplex, sed ex pluribus constat, aut sese contingentibus, sicut acervus tritici, aut invicem implicatis, ut lana & pili, id cedere quidem solet, nec tamen molle est. Contrariè ea, quæ valdè sunt repleta atque distenta, ut vesica & urres, in se non cedunt, nec tamen quod in illis continetur, durum est. Imò nec quod continet, ubi est repletum, durius se ipso evadit, aut adventitium alium affectum est adeptum, nisi ea tenens, quatenus ἐν τῷ παρόντι tensum est; prius verò erat κεχασμένον, laxum. Quod quidem si accuratiùs loqui voluerimus, non σκληρὸν, durum, sed ἀντίτυπον, renitens, dicendum est. Permittit tamen Galenus, ut σκληρὸν appelletur, cum & ipse persæpè id sic nominare consueverit. Id tamen monet, non unam esse induratorum naturam, neque unam medelam. Nam quod à siccitate induratum est, humectandum. Quod induratum

ratum à congelatione, calefaciendum. Quod
à repletionem, vacuandum. Quod à siccitate
simul & concretione, humectandum & cale-
faciendum. Quod à congelatione & impletio-
ne, calefaciendum & evacuandum. Lib. 5. c. 5.
X.

Quæ sint causæ eorum, quæ dura tot mo-
dis reddunt corpora? Diximus primùm, indu-
rari corpora ob siccitatem. Siccantur autem
1. validis exercitijs. 2. insolatione. 3. ingenti
inedia. 4. feбри ardenti. 5. medicamentis, que
citra refrigerationem siccant. Affirmavimus dein-
de, duriora fieri corpora frigore intenso, quando
congelantur. Perhibuimus tertio, duriora reddi
impletione & distensione. Implentur verò à lar-
go humoris affluxu. Quarto fassi sumus, durio-
rem acquirere consistentiam corpora ob συζυγίας ha-
rum causarum. Itaque duriora fiunt, quando
siccantur & congelantur simul, nimirum coeun-
tibus, que simul convenire possunt causis, ut si
quis supra modum in frigore laboret. Replentur
præterea simul & congelantur ab influxu frigi-
do, aut partis refrigeratione. Frigoris rursus cau-
sa triplex est. I. est aer ambiens, aqua, medica-
mentum, quod sæpè à Medicis in erysipelate præ-
scribitur: uno verbo, ea sunt, que ἕξωθεν ὑπο-
πίπτουσα vocantur. II. est propria affecte par-
tis ἑσώθεν. III. influens in ipsam humor. Nam
is sæpenumerò se ipso calidior factus est; huncque
calorem vel putredine, vel contactu calidarum
nati-

natura partium, contraxit: cum inzerim quod
partibus natura frigidis frigus affricuit, pluri-
mo tempore perduret. Tot igitur modis corpora
tūm indurantur, tūm molliuntur. Lib. 5. c. 5.

XI.

Utrum medicamentum μαλακτικόν, omni-
bus conveniat corporibus, quæ vel à siccita-
te, vel à concretione, vel à repletionē dura
facta? Negat Galenus: sed ἐξαιρέτως, peculia-
riter ijs, quæ διὰ πῆξις, congelationem indurue-
runt: & adhuc magis illis, in quibus humor ali-
quis præter naturam continetur, velut in tumo-
ribus scirrhis. Nam quæ à siccitate indurue-
runt, humectanda sunt, non mollienda. Quæ re-
pleta, vacuanda, non emollienda. Verum de no-
minibus neque contendere honestum est, neque
necesse curiosum esse. Præstat rerum insistere
διαφορῶν. In his enim si quid peccetur, ingens
agrotis damnum infertur. Quapropter, quod re-
siccatum est, humectantia poscit remedia. Quod
à frigore congelatum, calorifica requirit. Quod
impletum, aut refrigerantia, aut calefacientia,
aut quæ propriè siccantia nominantur, desiderat.
Hæc quippe omnia humorem superfluum evacuant:
sed sua ac peculiari quodque ratione. Frigida
quidem duobus modis: nempe repellentia, & si-
mul cum calore multam educentia humiditatem,
sicut Aristoteles præcepit. Quæ verò calefaciunt,
dum contentum in calidis corporibus humorem in
vapores dissolvunt. Quæ autem siccant, ut δια-
φορῶν

ῥοεντικὰ, h. e. digerentia per halicum, duplici
similiter ratione vacuant. Aut humores, qui po-
ris inherent, absorbendo: aut partem totam alte-
rando. Ὁ καὶ εὖς τῆς χριστοῦ, tempestivus cuiusq;
usus hūc non pertinet, sed ad methodum ἰατρικῆς
ἔργου attinet.

Quae à frigore pariter & siccitate indurue-
runt, ea pariter calefacere & humectare conve-
nit.

Si quæras, num talia debeant esse similia
suppurantibus, quae moderata caliditate & humi-
ditate sunt prædita? Respondet Galenus infi-
ciando: & docet, ea tantò debere esse calidiora,
quantò frigiditas exuperat: tantòque humidiora,
quantò & ipsa excedit siccitas. Τὸ δὲ μέτρον
ἰατρικῆς ἰδὲν εἰσαγγέλλει methodus. Sufficiat,
ait Galenus, formulam quandam medicaminis
proponere. Oleum & aqua calida humectant si-
mul & calefaciunt. Hæc si misceantur in unum,
tunc compositio multò magis tūm calefaciet, tūm
humectabit, sicut lavacra aquæ potabilis cum oleo
copioso adhibita.

Idem efficiunt edulia calida & humida invi-
cem mista in βάλανω, qui à frigiditate & siccita-
te ortus. Sanatur enim per contraria. Cata-
plasma ex farina triticea in temperatis naturis
plus movet, & nihil humiditatis partium natura-
lis aufert, quod quidem effatu dignum sit, nihil
etiam ysdem apponit. Non etiam calorem in-
tendit, nec hebetat, sed tantum in substantia ipsa
MM auget.

auget. Idem autem non est, qualitatem ἐπιείκως
intendere, & substantiam ἀυξήσασθαι, augere. Atta-
men id genus medicamenta humida calidaq; vo-
camus, non ceu calidiora humidioraque, quam no-
stra sit substantia, sed ceu similem habentia no-
bis κρᾶσι, quæ juxta veterum placita, ut in opere
de temperamentis ostensum, calida est & humi-
da. Nec tamen sic aquam humidam, aut galba-
num calidum dicimus: sed illam, quia carnem
nostram rigat: hoc, quod eam calefaciat. Nam
tametsi calida aqua partes, quæ ob humorum in-
fluxum intumuerunt, evacuare valeat, tamen si-
milares solum humectat. Lib. 5. c. 5.

XII.

Quæ sit temperatura ἐκπυσικόντων φαρμάκων
medicamentorum pus moventium? Hæc me-
dicamina perinde ut aqua calida calefaciunt: ac
propterea superfluum humorem in vacuis parti-
cularum spatijs per halitum digerunt. Ipsis ta-
men similaribus partibus secundum naturam di-
spositis nihil humiditatis neque adimunt, neque
adiciunt, quod quidem sentiri possit. Probat hoc
Galenus tali syllogismo.

Quæ ita sunt τοῖς κρᾶσι, temperaturam ha-
bent equalem, ea partium similarium substan-
tiam potius conservare, quam alterare solent.
At suppurantia talem habent temperaturam. Er-
go similarium partium substantiam potius con-
servant, quam alterant.

Lices autem in suppurationibus tum humor,
sunt

cum etiam caro, quae contusa, quidem alteretur,
tamen reliqua, quae secundum naturam se ha-
bent, & sana sunt, substantiam suam servant.
Sciendum enim, tres in animalium corporibus fie-
ri ἀλλοιώσεις. I. quae ἀκριβῶς κατὰ φύσιν est, pla-
nè secundum naturam, qualis est ciborum in
ventriculo concoctio, & succorum in visceribus
ac vasis generatio, quib. singulae partes nutriun-
tur. II. quae ἀκριβῶς est παρὰ φύσιν, prorsus
contra naturam, priorique contraria: cuius ge-
neris ea est, quae in putrescentibus observatur cor-
poribus, & σήψις, purredo appellatur. III. quae
ἐπιμιχθὲς ἐξ ἀμφοῖν καὶ μέση, ex utraque mixta
& media est, partim aliquid habens primae illius,
quae exquisitè naturalis est, partim verò alterius,
quae planè praeter naturam existit, & ἐκπύσις,
suppuratio vocatur. Quod autem duae primae
alterationes sibi sint oppositae, hoc docetur argu-
mento.

Si σήψις ventriculi, hepatis & vasorum fit ab
ingenito calore, ex materia animali familiari, in
bonum utilemque vitae finem, σήψις autem à ca-
lore alieno proficiscitur, in materia vitiosa, & in
nullum vitae finem utilem, sequitur hasce ἀλλοιώ-
σεις inter se esse oppositas & contrarias. At prius
est verum. Ergo & posterius.

Quod verò ἡ ἐκπύσις media sit inter σήψιν
καὶ σήψιν, sic probatur. Quae ἀλλοίωσις ab inge-
nito quidem nativoque fit calore, sed non planè
vincente, & in materia peragitur, quae neque

ἀκριβῶς χρεῖσθαι, prorsus benigna est atque utilis,
neque tamen παντάπασιν ἀλλότρια, omnino aliena,
ea respectu utriusque cause medio modo se habet
inter πῦρ καὶ σῦψιν.

At ἐμπύσσις, ἢ διαπύσσις, à tali fit calore, &
in tali peragitur materia, uti dictum. Ergo me-
dio modo se habet inter πῦρ καὶ σῦψιν.

Quòd autem ἐμπύσσις à calore fiat illi similis,
à quo ἢ πῦρ proficiscitur, sic confirmatur.

Si ἐμπύσσις promovetur ac juvatur ab exter-
no calore, qui innato similis est, infertur, illam
fieri à calore, qui similis innato. Prius est verum.
Ergo & posterius.

Quòd verò πῦρ juvetur ab externo calore,
qui innato similis, Galenus duobus exemplis de-
clarat. Primum est corporis humani. Nihil
enim aequè ventriculi concoctioni conferre novi-
mus, atque corpus humanum illum contingens.
Quo nomine quidam pueros noctu illi admovent
per quietem, & longè evidentissimum adiumen-
tum exinde sentiunt. Magis enim calor ille con-
fert, magisque eo calore familiaris est, qui à πυ-
ρίσσει, a fomentis calorificis paratur.

Alterum est κυνιδίων σπιγῶν, parvorum ca-
telligorum, quos quidam ejusdem utilitatis gratia
ventri imponunt, ut non qualitatem, sed quanti-
tatem caloris cibos concoquentis adaugeant.

Tale igitur esse debet medicamentum suppu-
rās, qualis est nativus calor in naturis temperatis:

Quòd si natura ejus, in quo medicamen pus
move-

movere debet, fuerit calidior, tunc & ipsum
medicamentum calidus sit oportet: tantò nimi-
rùm temperato calidius quantò & natura ejus
temperatam in calore exuperat. Proinde cujusque
singulatim hominis suum ac proprium est puris
movendi medicamentum. Constat & illud, quod
sape jam hoc in opere dictum, nempe omnes me-
dicamentorum facultates ut ad optimè tempera-
tum hominem explorandas esse. Tale igitur de-
bet esse medicamentum διαποικιον, qualis est in
naturis temperatis calor nativus: simile scil. calore
& humore corpori, cui admovetur. Cum verò
nature corporum sint diverse, non eadem sunt
omnibus medicamenta suppurantia, sed cuiq; sua,
tantò scil. calidiora, quantò calidior natura ejus
est, cui admoventur; & tantò minus calida,
quantò ea est frigidior. Idemque judicium feren-
dum de constitutione corporis humida & sicca.
Verùm cum infinita sit corporum differentia ra-
tione majoris ac minoris, ideò Galenus regulam
trahit, ad quam medicamenta talia, vel talia esse
dicantur. Ea est corpus optimè temperatum. Sup-
purantia ergò, emollientia, & aliud quidvis fa-
cientia sunt, quæ ad hominem temperatum talia
sunt: nimirùm quæ illi similia sunt. Cumque
ea communiter calida humidaque judicetur, id-
circo & suppurantia pharmaca talia erunt. Ea
verò, quæ indurata emolliunt, temperata natura
calidiora quidem sunt, non tamen ισχυρῶς, val-
de calida. Lib. 5. c. 6.

Mm

3

XIII. Cum

XIII.

Cum mentio jam facta sit μαλακτικῶν medicamentorum, quæ scirrhorum & induratorum corporum medelæ sunt, quæritur, unde scirrhosi tumores oriantur, & quibus pharmacis curentur? Oritur, inquit Galenus, ἢ σκίρρῳ μὲν διαθεσις ab influxu humoris viscosi & crassi, exilibus partium meatibus impacti, digesti verò per halitum parte tenuiori, ac reliqua eius portione refrigerata, & quasi congelata. Ideoque asserunt Medici, frigidum hocce καὶ θερμὰ calescentibus curari. Cum verò præter frigiditatem, etiam humiditas redundet superflua, proin composita opus esse curatione dicunt.

Ratione frigiditatis calescente: ratione verò aliene & supervacaneæ humiditatis evacuante. Hinc fit, ut ea, quæ scirrho in modum indurata sunt, neque validè exsiccantibus, neque fortiter calescentibus, neque iis, quæ utrumque præstare valent, curari queant.

Quod validè calescentia scirrhos non curent, sic probatur. Quæ humiditatem in scirrho contentum violenter digerunt atque eliciunt, & sic reliquam illius partem omnem desiccant, redduntque duriores, ea sanè scirrhos curare neutiquam possunt. Hoc faciunt validè calescentia. Ergo scirrhos minimè curant.

Quod deinde fortiter desiccantia, etiamsi non calescant, scirrhos minimè sanent, hunc in modum confirmatur.

Que

Quae non δια μέσου τῆς κενύτης τοῦ λεπτομερούς, mediante virtute evacuant quod est tenue ac subtile, sed ἄντικθεν τε καὶ κατὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν, ex professo & ex natura sua infixum humorem crassum ac viscosum ad summam perducunt duritiam, ea scirrhum non sanant. Hoc faciunt fortiter desiccantia. Ergo illum non sanant.

Quae igitur, inquires, scirrhos tollunt? Sola illa, ait Galenus, quae calefaciunt quidem, & μὴν σφοδρῶς, sed non admodum: & unā etiam exiccant, at non ἰσχυρῶς, fortiter: vocanturque proprie μαλακτικά, emollientia, quae eodem tempore & mediocriter calefaciunt, & leniter siccant.

Probat hoc sequenti argumento.

Quae τὸ παγωδὸς, quod congelatum est, fundunt & liquant, καὶ κατὰ βραχὺ, sensim paulatimque quod impactum est per halitum digerunt, ea reverā μαλακτικά sunt. At quae mediocriter calefaciunt & siccant hoc praestant. Ergo revera sunt μαλακτικά. Lib. 5. c. 7.

XIV.

Quomodo τὰ ἐκπυϊστικόντα, suppurantia à μαλακτικοῖς, emollientibus differant? Dictum fuit modo, τὰ μαλακτικά calida esse, nec admodum sicca. Ab ἐκπυϊκικοῖς autem, ἢ διαπυϊκικοῖς, ἢ ἐμπυϊκικοῖς (hisce enim dictionibus Galenus promiscuè utitur) l. differunt, quod calidiora siccioraque existant. Nam τὰ ἐκπυϊκικά cognatam & similem corporibus nostris caliditatem possident: τὰ δὲ μαλακτικά validiorem habent: non

tantam tamen, ut τῷ βιάει τῆς ὀγκῆς, violentiā
attractionis reliquum desiccet.

II. τὰ ἐκποητικά humorem, qui praesuit in par-
tibus induratis, servant: τὰ δὲ μαλακτικά βραχυ-
τι μέρει ἐὺλῆς ἀναλίσκει, paulum quiddam ejus
absument. Quapropter, licet innumera sint cale-
facientia simul & desiccantia medicamina, sola
tamen ea, quae σύμμετρον calorem obtinent, unāq;
illi ἀνάλογον, respondentem sortita sunt siccita-
tem, mollire possunt illa, quae scirrhi instar indu-
rata sunt: cujusmodi est bdellium, styrax, galba-
num, ammoniacum, thymiana, medulla tūm cer-
vina, tūm vitulina, adeps item caprinus & tau-
rinus, & quae hujus generis sunt alia, quae enume-
rare nihil attinet, cum jam constitutum sit, in
genere solum de horum medicamentorum facul-
tatibus agere. Praestat quippe in genere scire, quod
τὰ ἐκποητικά aequalem calorem imprimant ei,
qui est in homine κατὰ φύσιν constituto: τὰ δὲ
μαλακτικά multo intensiorem. Quocirca illa qui-
dem ἐ τῷ ποιῷ, ἀλλὰ τῷ ποσῷ μᾶλλον τῆς θερμότη-
τι, quantitate potius, quam qualitate caloris
agere nata sunt: at quae indurata emolliunt, qua-
litate magis. Id quod Galenus de ἐκποητικοῖς hunc
in modum planum facit. Si suppuratio celeriter
procedit, quando parti, quae suppuratione eget,
manus, aut alia quavis pars hominis temperati,
semper tenetur imposita, sequitur, τὰ ἐκποητικά
calorem habere hominis temperati similem.

Primum est verum. Ergo & posterius.

Ἰτεροῦ

Item, si medicamenta hominis temperatura
quam similima citò admodùm concoquunt, quæ
in pus verti debent, ut est nonnunquam caro
contusa, interdum vero humor, qui inflammatio-
nem produxit, concluditur rursus, τὰ ἐκπυλικά
ἴσα, equalia esse calori hominis temperati. Ac
prius faciunt medicamenta hominis temperatura
quam-similima. Ergo τὰ ἐκπυλικά ἴσα sunt ca-
lori hominis temperati. Lib. 5. c. 8.

XV.

Utrum suppurantia pharmaca præter mo-
deratam caliditatem & humiditatem, similem
illi corpori, in quo pus movere debent, etiam
vim ἐμολαστικὴν habere debeant? Quod medi-
camenta, quæ ἀκριβῶς διαπυλικά esse tenentur,
etiam emplastica facultate pollere debeant, Ga-
lenus hunc in modum planum facit: præmissis
quibusdam fundamentis & hypothesebus, quæ sunt
sequentes.

- I. Suppuratio est unum ex operibus Nature.
 - II. Suppuratio est quedam species περασμῶ.
 - III. Instrumenta Nature in concoquendo &
conficienda pure sunt calor & spiritus insitus.
 - IV. Ut Natura suo munere in suppurando de-
fungi possit, necessum est, ut calor & spiritus ma-
neant in parte, in qua suppuratio peragenda, non
evolent atque exhalent.
 - V. Evolare autem solent, poris patefactis: ma-
nere vero, iisdem clausis & obturatis.
- Hinc sic argumentari licet.

M m §

Que

Quæ mutatio est concoctio, ea est opus Naturæ.
Ἐκτύσις est concoctio. Ergo est opus Naturæ.

Quod autem est opus Naturæ, id ad sui produ-
ctionem requirit Naturæ organa. Ἐκτύσις est
opus Naturæ. Ergo requirit ad sui confectionem
Naturæ organa.

Quod rursus ad sui confectionem Naturæ or-
gana requirit, id requirit caloris & spiritus insi-
ti presentiam, quia hæc sunt Naturæ organa.
Ἐκτύσις requirit Naturæ organa. Ergo requirit
caloris & spiritus insiti presentiam, & consequen-
ter tale remedium, quod calorem & spiritum de-
tineat, ne evolare & exhalare queant. Tale autem
est τὸ ἐμπλαστικόν. Itaque necesse est, τὸ ἐκτυσι-
κόν etiam ἐμπλαστικόν esse debere.

Nam quod medicamentum poros infarcit &
obstruit, id facit, ut poros obturatis organa Natu-
ræ in consiciendo pure, calor & spiritus, intus ma-
neant, non exhalent. Ἐμπλαστικόν poros obstruit.
Ergo facit, ut organa Naturæ in consiciendò pure
intus maneant, non exhalent.

Est igitur medicamentum ἐκτυσικόν non so-
lùm modicè calidum & humidum, sed etiam ἐμ-
πλαστικόν.

Quod Galenus de virtute emplastica & modi-
cè calida etiam hoc pacto probat.

Si τὰ ῥυθλικά, detergentia, validèque calefa-
cientia ἐκτύσιν impediunt, sequitur, τὰ ἐμπλα-
στικά καὶ μεθρίως θερμάνοντα eandem promovere.
At τὰ ῥυθλικά & validè calefacientia ἐκτύσιν
impe-

impediunt. Ergo τὰ ὑπλαστικά καὶ μετρίως θερ-
μαίνοντα eandem juvant & promovent.

Minor 1. probatur de ῥυπτικοῖς, detergenti-
bus medicamentis.

Quae obstructione liberant reserantque meatus,
ea ἐκπύουσι impediunt. At τὰ ῥυπτικά obstructione
liberant reserantque meatus. Ergo ἐκπύουσι
impediunt.

Hec Major iterum confirmatur. Quae faciunt,
ut spiritus & calor, Naturæ organa, in consicien-
do pure, exhalent, ea ἐκπύουσι impediunt. At
quae obstructione liberant reserantque meatus, fa-
ciunt, ut Naturæ organa in pura consfectione,
calor & spiritus, exhalent. Ergo ἐκπύουσι impe-
diunt.

Eadem Minor deinde quoque probatur de
validè calefacientibus.

Quae exiccāt, calorem inflammant, intensiorem-
que reddunt, imò patefactis meatibus, faciunt, ut
spiritus & calor, organa Naturæ in generando pu-
re, exhalent, ea ἐκπύουσι impediunt. Validè calo-
facientia hæc faciunt. Ergo ἐκπύουσι impediunt.

Oportet ergo medicamentum ἐκπύουτικὸν habe-
re πύσμα ἀτμῶδες καὶ πλεῖστον, καὶ ἀκριβῶς σὺμ-
μετρον τῇ θερμότητι, spiritum halituosum, eumque
plurimum, & calorem exquisitè moderatum. Talis
enim aptum conveniensque est Naturæ ad opera
naturalia consicienda instrumentum. Id quod Ga-
lenus exemplo puerorum ostendit, in quib. talis
spiritus est copiosissimus, & propterea etiam Na-
tura

zure opera valdè auget. Quod tamen quosdam fugit, & cum hoc ignorent, Hippocratem accusare minimè verentur, qui aphor. 14. §. 1. dixit, crescentia corpora πλεϊστον ἔχειν τὸ ἐμφύλον θερμὸν. Verùm equum est, ut dicta illius rectè intelligantur, & scire, dixisse eum, τὸ ἐμφύλον θερμὸν, quod nos in unoquoque animali nativum vocamus spiritum, de quo & Aristoteles docuit. Nihil autem prohibet, quò minus per τὸ ἐμφύλον θερμὸν καὶ τὴν αἱματικὴν ἔσϊαν, καὶ ἀερώδη ἅμα τῷ πνεύματι sanguineam substantiam simulque aeream unà cum spiritu inaudiamus. Et Stoici quidem ταύτῳ τῷ πνεύματι, hunc ipsum spiritum animæ substantiam esse persuasum habuerunt. Galenus autem fatetur, se non audere quicquam περὶ ἔσϊας ψυχῆς discernere, præsertim cum hoc ipsum quoque in ista doctrina sit supervacaneum: quamquam antè τὸ σύμφυτον πνεῦμα etiamsi non sit τῆς ψυχῆς ἢ ἔσϊα, saltem tamen πρῶτον illius ὄργανον esse, in commentarijs de placitis Hippocratis & Platonis demonstraverit.

Si quæras, ubinam spiritus iste contineatur? Respondet Galenus, in omnibus animantis partibus, sed non ubique (πανταχοῦθι) sui similem esse, veluti neque sanguinem. Neque parvam illius substantiam in spatijs inanibus (ἐν ταῖς κεναῖς χώραις) inesse; imò potius velut materiam leviculam etiamnum mutationem exposcentem ad innati spiritus, qualitatibus suis absoluti, generationem, nihilominus tamen jam tum etiam admodum

modum ad naturalia opera conducentem. Ex natura-
libus autem operibus unum est ἢ εἰς τὸ πύον
μεταβολή, suppuratio. Id quod Galenus sic con-
firmat. Q. est πέψις, id est opus Naturæ. Ἐκ-
πύουσι, sive ἢ εἰς πύον μεταβολή, est πέψις. Ergo
est opus Naturæ.

Vbi autem opus est τῆ πέψις, ibi spiritum, tan-
quam Naturæ organum ad πέψιν promovendam,
intus servari oportet. At in ἐκπύουσι opus est τῆ
πέψις. Ergo ad illam promovendam spiritum in-
tus servari oportet. Atqui is διαφορεῖται, digeri-
tur, tum à detergentibus, qualis est farina horde-
acea ac fabacea: tum à resiccantibus, qualis est
panici, lupinorum & milij farina: tum ab exca-
lescentibus, ut est farina fœnogræci: multò et-
iam magis ab ijs, quæ simul & excalescunt, &
resiccant, utpote à lolio (ἀλφί) eruco, cicere, ochris.
Proinde quæ talia sunt, inepta existunt ad sup-
purationem præstandam. Lib. 5. c. 9.

XVI.

Quæ igitur sint ad suppurationem, seu pus
generandum apta atque idonea? Sequentia,
quæ tametsi ad doctrinam de compositione medi-
camentorum pertineant, placet tamen Galeno
exempli gratia quorundam mentionem facere: ea-
que ad quatuor classes referre: ad τὰ κατανύσσου-
μενα, ea, quæ perfunduntur, ad τὰ ἐπιβεβηχόμενα,
ea, quæ irrigantur, ad τὰ ἐπιιδέμενα, quæ impo-
nuntur.

Primæ classis sunt aqua temperata, ἕνυχας &
& hydreleum. Secun-

Secundæ oleum temperatum.

Tertiæ cataplasmata ex farina triticea, aut pane triticeo hydroleo subacta. Verùm is modicè coctus sit oportet. Nam qui plurimum coctus est, siccior quodammodo est, & phlegmonibus $\delta\upsilon\sigma\pi\epsilon\alpha\tau\omicron\tau\epsilon\gamma\alpha\upsilon\varsigma$ aptus: qui minùs coctus, ferventibus & admodum calidis convenit. Cui plus additum olei, itidem $\delta\upsilon\sigma\pi\epsilon\alpha\tau\omicron\tau\epsilon\gamma\alpha\upsilon\varsigma$ congruit: cui minus, ferventibus competit. Cataplasma, quod ex pane, sale ac fermento compositum, idoneum est phlegmonibus agrè coctilibus; quod ex farina triticea factum, utilius est calidioribus inflammationibus. Cataplasma, quod ex pura farina triticea, aut ex pane triticeo puro conflatum, puri movendo magis confert. Furfur enim minùs quidem calidum est, magis autem desiccatur. Farina verò pura, queque alere nata est, humida est ac calida. At talia ad pus producendum maxime profunt. Quocirca medicamenta, que partibus inflammatis imponuntur, si calida sint atque humida, ad pus generandum conducunt: ut adeps suillus & vitulinus. Nam tauri & capra acriores sunt. Ideoque inflammationibus tum frigidioribus, tum durioribus magis commodant. At suillus & vitulinus proprie dictis phlegmonibus familiarissimi sunt. Est & gallinaceorum adeps is optimus, & magis etiam anserum, quoddammodo tamen ad digerendum potentior. Est enim substantia sua tenuior, quemadmodum & bubulus, & caprarum crassior ac magis terrenus. Quin & agrestium animalium

malium adeps acrior existit, sicciorque multo,
quàm domesticorum, & maxime pardalis ac leo-
nis. Ideoque nullus eorum puri movendo est ido-
neus. Porro inter τὰ ἐκπιεστικὰ recensentur
etiam pix & resina, oleo quopiam, aut rosaceo
(ρόδιον) dissoluta. Verùm ad ferventes & igneas
phlegmonas rosaceo illas liquare decet: ad frigi-
diores verò calidiori aliquo oleo, v. g. sicino, ra-
phanino, vetusto, aut Sicyonio.

In defectu horum simplicium usurpari potest
cera, quæ & ipsa in calido aliquo oleo dissolven-
da. Ea enim per se minùs calida est, quàm ut
pus movere valeat. Vim enim emplasticam habet.
Quare solis ferventibus inflammationibus apta
est, calido aliquo oleo liquata.

Quemadmodum verò hæc συμμείγξις ac mediocri-
tate est inferior, ut ad medias temperie phlegmo-
nas, hominumq; & partium naturas, ita paululum
quiddam resina & pix excedunt. Proinde hæc
omnia mista pus moderatè movent.

Concludit tandem Galenus, & quæ dicta
prolixius, ἀνακεφαλαιῶς repetit: nimirum, suppu-
rantia medicamina habere debere modicè hume-
stantem & calefacientem δύναμιν, ita ut neque
superiora, neque inferiora hisce in qualitatibus
sint temperatura corporis, ipsa immutantis. Sed
quo ad fieri potest, similima. Præter hanc verò
κρίσιν tenentur eadem etiam esse ἐμπλαστικά. Ta-
li autem facultate ea præcipuè pollent, quæ len-
ta sunt & viscosa, ut adeps porcinus, butyrum,
thus.

thus, & cataplasma ex triticea farina confectum.
Nam quae sunt modicè calida & humida, len-
ta insuper & glutinosa, uno verbo *εμπλαστικά*, ea
puri movendo sunt accommodatissima. Recensita
modo simplicia talia sunt. Ergo ad puris gene-
rationem per quam accommodata. Chondrus,
aliàs alica, farina triticea sicciore est, lentus ta-
men, forsitan etiam magis, quam triticea. Hinc
fit, ut in inflammationibus mediae temperaturae
puri movendo sit ineptior: in humidioribus etiam
triticea praestantior. Lib. 5. c. 9.



COROLLARIA.

I.

Qui sapor simplex? qui compositus? qui
extremus? qui intermedius? Simplex
est, qui ex alio sapore non constat. Compositus,
qui ex aliorum commixtione factus. Extremus,
qui alteri est extreme contrarius. Intermedius,
qui ab alio quidem diversus est, sed illi minime
contrarius; ut dulcis amaro, acer acerbo. Dulcis
enim gustui maxime est gratus, & maxime alit:
amarus ingratus, & ad alendum ineptus. Acer
calidissimus est, subtilissimus, quia igneus: acerbus
frigidissimus, ac terrene substantiae. Unde etiam
contrarios edunt effectus, ut ex superioribus li-
quet.

II. An

II.

An omnia pinguia dulcia sint? Multa ta-
 lia sunt: ut cremor lactis, butyrum, medulla, adeps,
 oleum amygdalarum dulcium, oleum ex maturis
 olivis recenter expressum, oleum nucleorum pi-
 neorum, nucum juglandium &c. similiter noviter
 elicatum. Sed plurima etiam non dulcia sunt: ut
 oleum amygdal. amararum, absinthij, ruta, cort.
 aurantium, galbani, zedoaria, salis &c. Hinc
 pinguis sapor non bene à quibusdam ad dulcem
 refertur, quasi dulcis & pinguis unus idemque
 sapor essent. Pinguedini quidem inest sapor dul-
 cis: estque pinguedo hujus saporis subjectum: sed
 inde non emergit sapor, qui à dulci sit diversus:
 quemadmodum nec vinosus, nec nitrosus, nec oleo-
 sus simplex sapor rectè statuitur: sed hæ differen-
 tia à subjectis petuntur, quod est vinum, nitrum,
 oleum. Vino namque insunt acer, acidus & dul-
 cis: nitro amarus: oleo communi & recenti dul-
 cis.

III.

Cut pinguia immodicè sumpta nauseam
 pariant vomitionemque moveant? Quia to-
 num ventriculi dissolvunt. Illum enim relaxant,
 & supernatant. Quo fit, ut etiam χύλωσιν im-
 pediant.

IV.

An unum idemque simplex respectu di-
 versorum animalium dulce atque amarum
 dici possit? Dogma quorundam Physicorum est,

Nn

salic

salices nobis esse amaras, capris verò dulces. At nobis non probatur. Quod enim eas causas, quæ ad dulcedinis generationem requiruntur, accepit, id nullo respectu amarum dici potest. Vice versa, quod causas amaritudinis est adeptum, semper amarum, nunquam dulce statui debet. Si tamen per dulce id intelligatur, quod gratum est atque acceptum, largimur, salicēs nobis amaras esse, & propriè, saporis amari ratione, & impropiè, scilicet ingratas & injucundas. Contrà capris dulces esse, non propriè ratione dulcis saporis, quo destituuntur, sed impropiè, quia natura & idiosyncrasia illarum suaves sunt, gratæ atque jucunda.

V.

Cur dulcia sæpè & immodicè esitata putredinem gignant, & in πικροχόλοις facile in bilem vertantur? Prioris causa est, quia modicè calida sunt & humida. Talia autem corpora putredini obnoxia esse, quotidiana rerum observatio docet. Posterioris ratio est, quoniam in πικροχόλοις, qui calidi & sicci, aduruntur, sicque in bilem degenerant: authore Galeno l. 1. al. fac. cap. 1. l. 3. al. fac. c. 39. & l. 4. simpl. c. 17.

VI.

An acria tenuia? Ita & Peripateticorum princeps, & Peripatetici omnes, nec non & Galenus, ejusque affecta docent. Nec aliud Ratio suadet. I. quia à calore nostro facile in actum deducuntur. II. quia aperiunt, penetrant, sudorem provocant,

vocant, urinam movent, calculosque frangunt. Substantia quippe subtilitate se in corpora insinuunt: eaque attenuant atque incidunt. Quo fit, ut serum a sanguine separent: id vertant in vapores: & calculos e vesica exturbent. III. quia pleraque ignea sunt natura: ut Euphorbium, Pyrethrum, Sinapi, Eruca, Piper, Zinziber, Caryophylli, Cinnamomum, Galanga, Laureola, Hydropiper, Raphanus marinus &c. At ignea quae sunt, tenuia sunt: quia ignis elementum tenue & subtile.

VII.

An acria omnia calida? Affirm. quatenus acria. Probari hoc potest acrium inductione. Nam Piper, Zinziber, Caryophylli, Cinnamomum, Macis, Cubebe, Galanga, Cardamomum, Raphanus marinus, Sinapi &c. acria sunt, & calida, aliaque plurima. II. quia nos calefaciunt. Imò quaedam eorum adeo calida sunt, ut etiam exulcerent, absumant, crustas inducant, urant: cujusmodi sunt illa, quae dicuntur ποικίλον, καθαρῆλαι, εσχάρηλαι, κausinà: uno verbo, τρυφήλαι.

VIII.

An amara omnia calida & sicca? Sic docent artis proceres: sic experientia probat ex effectis: sic denique ratio suadet. I. quia sitim excitant. II. quia putredini resistunt. Non facile enim ipsa putrescunt: nec sinunt, ut in se vermes, aliave animalia generentur. Siccitate enim sua excrementitios & supervacuos humores absorbent, & sord-

des abstergunt. Si obijciatur opium, quod amara-
rum, & tamen à priscis medendi artificibus frigi-
dum statuitur, responsio patet ex coroll. 1. disput. 7.
Vide quoque corollar. 8. disput. 9. Si dicatur,
multos fructus arborum, fruticum, suffruticum, &
herbarum initio esse amaros, cum adhuc sunt
crudi & frigidi: postea frigore eorum à calore
Solis & proprio superato, & materia ad maturi-
tatem perducta, dulces evadere, ut xylocaracta,
cucumeres, cucurbita, fructus alij ostendunt, re-
spondetur, in talibus partes esse diversas, & per
consequens etiam crassas, terrenas, atq; exustas, in
quib. amarus sapor consistit. Etsi vero is sit pau-
cus, præ cæteris tamen à lingua percipitur, tum
quia unus est ex extremis, ac ob id linguam præ-
alio afficit: tum quia in crudis fructibus hu-
mor à calore nondum est determinatus, ut Ari-
stoteles l. 4. meteor. c. 2. loquitur, h. e. nondum
vera facta est cum sicco commistio. Vbi vero ma-
teriei subjectæ partes à calore melius excoquun-
tur, & amararum partium cum cæteris absoluta
est commistio, tunc amaritudo magna ex parte
dissipatur, vel saltem obscuratur. In memoriam
quippe revocandum illud Galeni πολυθρύλλων
sepius hoc in opere inculcatum, quod pluribus
simplicibus partes diversæ, imò & prorsus contra-
riæ insint. Sciendum quoque, quod fructus illi,
quib. excellens inest amaritudo, nunquam exqui-
sitam dulcedinem adipiscantur.

IX.

An salus & amarus sapor specie inter se differant? Sunt, qui dicant, amaritudinem sub salsedine contineri. Rationibus moventur sequentibus. I. quia ex salsis per ulteriorem exustionem fiunt amara. II. quia uterque sapor eandem materiam habet, siccam atque terrestrem, eandemque efficientem, calorem excedentem. III. quia salus sapor, si cum amaro conferatur, crudus videtur. IV. quia uterque siccatur, abstergit, mundificat, exasperat, putredinem arceat, & sic eosdem effectus edit. Verum, placitum est rectius sentientium, duos istos sapes specie distinctos esse. I. quia diversa illorum sunt definitiones. II. quia linguam diversimode afficiunt. III. quia omnes dicunt, aliud esse salsum, aliud amarum. IV. quia salus sapor rebus inesse potest sine amaro; & vice versa amarus sine salso. Ratio vero prima in oppositum allata nihil concludit. I. quia etiam dulcia per exustionem amara fiunt. Probatur hoc exemplo mellis, quod extra & intra corpus nostrum adustum redditur amarum. Neque tamen sequitur, dulce amarum esse. Fructus, qui initio erant acerbi atque austeri, ulteriore concoctione mitiores tandem redduntur. Maturi enim facti dulces evadunt. Nec tamen infertur, acerbum, austerumve saporem dulcem, aut alium esse saporem.

Secunda hoc solum probat, causam materialem atque efficientem in genere duntaxat utriusque



saporis esse eandem: at minimè in specie. Si enim eadem prorsus essent, etiam eundem effectum, & consequenter eundem quoque saporem producerent, qui eadem ratione linguam afficeret, quod falsum.

Tertia ratio ponit aliquid, quod est contra naturam salsi saporis. Is enim crudus dici nullo modo potest: quia equè suo in genere perfectus absolutusque est, ac ceteri saporis. Quod enim crudum est, imperfectum existit. Propterea Aristoteles l. 4. meteor. c. 3. concoctionem perfectionem definit.

Quarta infirma est propterea, quod etiam acer sapor siccet, putredinem inbibeat, abstergat, atque exasperet, neque tamen idem cum salso, aut amaro statuatur. Multa enim in effectu conveniunt, quia eundem producunt: non necessario tamen specie eadem sunt.

X.

Rectène amarum dulcis dicatur privatio? Propriè non. Ratio est, quia amaror est ens positivum, & certa saporis species: habetque suas differentias, causas, atque effectus equè, ac quivis alius sapor. Deinde, quia ratio diversitatis nulla apparet, cur sola amaritudo dici debeat privatio, reliquorum saporum nullus. Tertid, quia privatio propriè & specialiter sumpta absentia est cujusdam forme in subjecto, quod aptum natum est ad illam recipiendam, & illo quidem tempore, quo forma privatum dicitur. At amaritudo
talit

talis absentia non est. Consideretur enim amaritudo absinthij, aloës, fellis &c. & deprehendetur, amaritudinem istorum simplicium non inesse subjectis habilibus ad recipiendam dulcedinem. Nunquam enim talia subjecta dulcedinem acquirunt: sed illorum hæc est natura, hæque cause, ut amara sint, & talia perpetuò maneant, quamdiu incorrupta existunt.

XI.

Cur acida appetitum ciborum excitent? Cur idem faciant austera? Cur austera ventriculo conducant?

Ad 1. respondetur, acida appetitum ciere, ventriculi orificium constringendo, modicè refrigerando, & humores noxios, si qui ventriculo insint, dividendo, & dissolvendo, qui dissoluti facile postea exturbantur, nec amplius appetitum arcent.

Ad 2. Austera appetitum invitant etiam ventriculi orificium corrugando & refrigerando. Conducunt autem debili ventriculo, ejusque retentricem roborant, facultate constrictoria.

XII.

An quæ acida cruda sint? Quedam, quæ dum cruda adhuc sunt, acida existunt: ut patet in uvis, prunis, fructibus alijs. Maturata verò dulcia evadunt, aut vinosi saporis. At non omnia quæ acida, cruda existunt. Oxalis enim, succus limonum, citriorum & quorundam granatorum, item ribesia, berberes, etiam ad summam matu-

ritatem perducti, acidi sunt, nec tamen crudi.
Est enim acor certa saporis species, quæ æquè suam
perfectionem habet, ac saporis reliqui.

XIII.

An omnia austera & acerba frigida sint,
sicca, & terrena? Austerus & acerbus sapor unum
genus habent, nimirum saporem adstringentem,
easdemque causas: sed austerus remissiores & mi-
tiores: acerbus intensiores ac vehementiores.
Utrumque autem refrigerantis, siccantis & terre-
na esse natura, sensus & experientia docent: in-
ductione exemplorum infinitorum monstratur: au-
thoritate summorum Philosophorum & Medico-
rum stabilitur: denique hac ratione confirmatur.
Si acria quæ sunt, calefacientis & ignea sunt na-
tura, sequitur, austera & acerba natura esse con-
traria. Ratio: quoniam illa penetrant, aperiunt,
attenuant, incidunt, mordicant: hæc contrarium
agunt. Ex quo arguitur, etiam contraria esse com-
plexionis. At prius verum est. Ergo & posterius.

XIV.

An vinosus sit peculiaris saporis species?
Est sapor quidem: verum non simplex, sed compo-
situs, ex dulci, acri & acido: qui saporis vino non
crudo, sed perfecto & ex maturis uvis expresso, in-
sunt. Dulcedinem percipit gustus, in alio inten-
siorem, remissiozem in alio. Acer observatur, si
vinum oculis aspergatur apertis, & vulneribus at-
que ulceribus mundificatis infundatur. Acidus si-
militer, quem & lingua sensibiliter deprehendit.

15. Cui

Quid sit dolor? quale symptoma? quæ illius
causa? an in solo tactu, an etiam in reliquis
sensibus locum habeat? quot modis sedetur?

Dolor non est ipsa sensatio, seu sensio, sed illa
molestia, quæ ex sensu, & perceptione objecti ve-
hementioris & violentioris oritur.

Est idem ex illorum symptomatum genere, quæ
actiones depravate nominantur. Tametsi enim
calor, v. g. frigus &c. sub propria specie à tactu
percipiuntur, tamen cum objecta sint interdum
violenta, sensumque turbent, ipsum etiam orga-
num tactus ledant ac corrumpant, non immerito
dolor, qui inde nascitur, pro depravata actione
haberi debet.

Illius causa proxima est continui solutio, ea-
que, ut Galenus distinguit, vel sensibilis, evidens
ac manifesta, qualis in ulceribus, vulneribus, fra-
cturis & rupturis sese offert: vel insensibilis, ob-
scura, & fere occulta, cuiusmodi in tumoribus
quibusdam & distensionibus partium animadver-
titur. Remota est alteratio subito, confectim, &
violenter facta. Nam talis continuum solvit: v. g.
calor partes dilatando, frigus fibras earum con-
stringendo.

Si voluptas in cæteris sensibus, visu, au-
ditu, & olfactu, locum habet, quidni & dolor?
Visum enim oblectant viridia & coerulea: dolo-
rem & molestiam creant luminosa, valdeq; splen-
dentia. Auditui voluptati sunt soni vocalis &
instrumentalis Musicæ concinni: dolori sunt tor-
menti-

Nn § mentoq;

mentorum bellicorum tonitrua, campanarum
soni, &c. Olfactum suaviter & cum volu-
ptate afficiunt odores fragrantēs: eidem verò
molesti sunt res tetrum foetidumque odorem spi-
rantes; quales sunt assa foetida, galbanum, atri-
plex canina, excrementa animalium, putrida ca-
davera &c.

Gustui delectamento sunt saporēs alimento-
rum & medicamentorum boni, ut sunt, quae dul-
ci, vinoso, acidove sapore imbuta: eundem verò
ledunt amara, acria, acerbata, valde salsa &c.

Notandum verò est ex Galeni l. 2. de differ.
sympt. c. 8. & l. 1. de caus. symps. cap. 6. quòd
dolor & voluptas omnibus quidem sensibus acci-
dant, sed evidenter magis in tactu deprehendan-
tur. Observandum & istud, quòd in omnibus
sensibus duplex fieri solet dolor: unus affecto ta-
ctu, qui in omnium sensuum sensoris reperitur:
alter affecto ipso sensu.

Sedatur autem dolor vel manifestis, vel occul-
tis qualitatibus. Manifestis per ἀνώδυνα, ἢ ἀ-
γνυοπικὰ, quae causa doloris perseverante dolorem
demulcendo, contemperando, & mitigando causam
leniunt. Et haec proprie dicta sunt ἀνώδυνα. Vel
causam ipsam extirpant, quae ἀνώδυνα proprie
non dicuntur, sed vacuantia praesidia: ut sunt ea,
quae in colica materiam dolorificam educunt: in
nephritide calculum, sabulum &c. exturbant,
Occultris per vaporωλικὰ, ἢ ὑπνωλικὰ, stupefacientia
& soporifera: quae extremis annumerantur re-
mediorum generibus.

XVI.

An natura hominis rectè à Galeno lib. 5. simpl. c. 5. & l. 6. san. tuend. c. 3. calida & humida statuatur? Videtur initio minùs rectè. 1. quia talis temperatura à Galeno damnatur l. 1. de temperam. c. 4. & l. 8. meth. med. c. 7. Scribit enim, illam putredini esse obnoxiam, facile in putridas incidere febres, aëremque calidum & humidum, qualis sub austrina esse constitutione solet, pestiferum ut plurimum esse. Homines calidos humidosque proclives esse ad febres putridas: quemadmodum patet ex sudoribus eorum, qui male olent, ex urinis, quæ foetent, ex expiratione, quæ tetrum emittit halitum, & ex alvi excrementis, quæ foetore adstantium nares graviter afficiunt.

Verùm aliter longè senserunt, & adhuc sentiunt docti & periti Philosophi ac Medici. Nam Aristoteles l. de longit. & btevit. vite aperte fatetur, animal esse ὕπὸν καὶ θερμὸν, vitamque in calore & humore consistere. Et libro 2. de part. an. c. 7. dicit, calorem ad exequenda anima officia esse ὑπερβαλλόντα, maximè vim administrandi habere. Hinc quamdiu vivimus, tamdiu calemus. Calore enim opus habemus, ut animæ organo: humore verò, ut caloris pabulo ac fomento. Hinc calidos atque humidos & diutiùs vivere, & saniores esse, & tardiùs senilem corporis constitutionem acquirere, & viribus magis pollere animadvertimus, quàm frigidae & siccae complexionis homines: etiam Galeno l. 6. tuend. san. c. 3. authore.

Intel.

Intelligimus autem per calidam humidamque dispositionem eam, in qua caliditas frigiditatem, & humiditas siccitatem *μετρίως*, moderate superat. Hæc enim habetur pro *σοφία*, temperatæ quæ regula quasi est atque norma, ad quam reliquæ *ἀεὶ* comparantur. Non illam inaudimus, in qua caliditas & humiditas plurimum abundant, ceterasque qualitates longè vincunt. Talis enim insalubris est, hominisque nature minimè convenit, quoniam putredini, & morbis inde excitatis obnoxia est. Et hanc quoque Galenus locis allegatis improbat. Quæ minus calida est & humida, frigida & sicca dicitur. Quæ calidior & siccior, calida & sicca appellari meretur. Quæ frigidior & humidior, frigida & humida. Et omnes tamen in genere calida & humida censentur: quoniam quamdiu homo vivit, calore & humore indiget, quæ tamen qualitates suos habent gradus: aliæque magis, aliæ minus tales esse perhibentur.

XVII.

An in animalium corporibus tres tantum fiant *ἀλλοιώσεις*, *τέλει*, quæ planè est secundum naturam; *συνέλει*, quæ prorsus præter naturam; & *ἐκτύπσις* quæ media est inter utramque, & partim aliquid primæ, partim aliquid secundæ habet? Sic credit Galenus l. 5. simpl. cap. 6. Verum obijci posset quarta, nimirum *ἀεὶ* ille, qui est noxiorum in morbis humorum maturatio; illis maximè, qui terminantur *ἀεὶ*. In ijs namque natura primum mor-
bif.

bificos humores concoquit : deinde noxios ab uti-
 libus secernit : tertio illos excernit : unde κρίσις
 oboritur, quæ fit κατ' ἐκκρίσιν : cum scil. materia
 morbifica per sudores, urinæ ductus, alvum &c. die
 critico evacuetur. Potest & obijci ἡ γαλακτοποίη-
 σις, quæ fit in mammis : itemque ἡ σπερματοποίη-
 σις, quæ in vasis seminarijs peragitur : & ὁμοίω-
 σις, quæ in singulis celebratur partibus. Responde-
 mus, τὴν πύξιν posse reduci ad τὴν πέψιν : quia
 & in efficiente, & in loco, & in fine cum πέψιν
 concordat. Efficiens enim primaria est Natura :
 instrumentaria, calor : finis humorum melioratio,
 & consequenter etiam partium nutritio. Quia
 verò materia morbifica ad alendum est inepta,
 idè a Natura expellitur, servata nihilominus
 Natura bona intentione. Γαλακτοποίησις itidem
 πέψιν quaedam est, eaque privata mammarum,
 quæ tamen ad nutritionem infantis est directa :
 & sic ratione finis & usus universalis dici mere-
 tur. Σπερματοποίησις similiter πέψιν quaedam est,
 non quidem ad nutritionem principaliter, sed ad
 sobolis procreationem instituta. ὁμοίωσις sine al-
 teratione præstari nequit : estque nutritioni pri-
 vata singularum partium destinata. Ideòque &
 ipsa ad πέψιν revocatur. Hanc enim duplicem
 statuunt artis proceres : publicam, quæ toti inser-
 vit corpori : qualis est, quæ in ventriculo, hepate
 & corde perficitur, & privata, quæ in singulis
 partibus fieri solet.

XVIII.

Sintne istæ mutationes propriè dictæ ἀλ-
 λοίωσις

λοιώσεις, alterationes? Vox ἀλλοιώσεως latè hīc
à Galeno accipitur. Propriè autem sumpta, mu-
tatio tantùm quædam est in qualitatibus. Est
enim ἀλλοίωσις in specie ea mutatio, qua nova
qualitas, non substantia, acquiritur. At in χυ-
λώσει, αἱμαλώσει, ὁμοιώσει, γαλακτοποίησι, & σπερ-
μαλοποίησει non nuda qualitas introducitur, sed
substantia nova: v. g. chylus ex alimentis, chymus
ex chylo, pars ex chymo, sive sanguine, pus ex car-
ne, vel humore aliquo. Sunt ergò potiùs γενέ-
σεις, quàm ἀλλοιώσεις, tametsi sine prævia ἀλλοιώ-
σει fieri nequeant.

XIX.

Utrum τὸ ἔμφυτον θερμὸν rectè dicatur nati-
vus & insitus spiritus? Calidum nativum ag-
gregatum quiddam est ex spiritu insito, & humi-
do primigenio, calore perfusis. Ideòque minùs
rectè spiritus appellatur insitus. Nam quod to-
tum est, partis mēneri nomen non potest.

XX.

Nunquid spiritus insitus rectè anima vo-
cetur, quemadmodum Stoici illum definie-
bant? Est ἀνιμῆ ὄργανον: at non anima ipsa:
quoniam hæc est incorporea; spiritus autem nostris
corpora sunt: quia generantur, intereunt, augen-
tur, decrescunt, alterantur, de loco ad locum mo-
ventur, in loco sunt, & ex forma atque mate-
ria sunt conflat. Quare cum proprietates ha-
beant corporum, non immeritò concluditur, cor-
pora esse, non animam, quæ corporeitatis, ut bar-
bare loquamur, est expers.

An omnis scirrhus nascatur ex crassis viscosisque humoribus? Galenus l. 5. simpl. c. 7. asserit, quosdam Medicos agentem defendisse, ac ob id scirrhum $\omega\alpha\theta\theta$ ἄλξρον appellasse, quod per calefacientia sit curandum. Verum Galenus lib. de tumorib. c. 9. triplicem materiam scirrhū trahere videtur: crassam stil. & glutinosam pituitam, humorem melancholicum, qui fax & limus est sanguinis, frigidus & siccus, & atram bilem, quæ calida, acris & sicca. Libro 2. ad Glauconem c. 4. scribit, scirrhū fieri ex lento crassoque humore, qui partibus, quæ indurantur, tenaciter insigitur. Observandum autem, scirrhū aliquot habere differentias. I. est, qua alius dicitur $\omega\sigma\omega\lambda\omicron\upsilon\epsilon\upsilon\iota\varsigma$, qui causas habet proprias, nullumque secutus est morbum: alius $\upsilon\sigma\epsilon\pi\omicron\upsilon\epsilon\upsilon\iota\varsigma$, qui morbum aliquem præviū habuit, v. g. phlegmonem, erysipelas, aut œdema malè curatum, h. e. ut Galenus l. de tumor. c. 9. interpretatur, immoderatiùs refrigeratum. II. qua alius statuitur exquisitus, qui iuxta Galenum l. 2. ad Glaucon. c. 4. tumor est durus & sensu privatus: alius non exquisitus, qui non omninò insensilis est, difficulter tamen sentit. Illum iudicat $\alpha\theta\epsilon\pi\acute{\alpha}\pi\epsilon\omega\lambda\omicron\upsilon$: hunc $\delta\upsilon\sigma\iota\alpha\lambda\omicron\upsilon$. III. quæ ex dictis liquet, estque vel melancholicus, vel phlegmaticus, vel atrabilarius. Notandum & istud, quod Galenus quidem scirrhū ut plurimūm definiat tumorem reuidentem, dūrum, dolorisque expertem, quemadmodum ex lib. 14. meth. med. cap. 8. comm. 4. in l. de vict.

viēt. acut. §. 21. lib. 1. de san. tuend. cap. 1. §. 1.
comm. 1. in lib. 6. epid. §. 2. lib. de diff. morb.
c. 9. & comm. 4. aphor. 34. patet; sed intelli-
gendum id sit de exquisito scirrho, qui à via
est: non de scirrhis alijs, qui ab alijs scirrhosi so-
lūm tumores vocantur, & partibus insunt insen-
sibilibus, quales sunt ligamenta: authore eodem
l. 14. meth. med. c. 8. Simplicem & exquisitum
scirrhū Medici definiunt tumorem p. n. durum,
sine doloris sensu, ab humore melancholico causa-
tum. Durum propter siccitatem & crassitiem hu-
moris impacti. Doloris verò expertem, ob crassi-
tiem & lentorem illius. Nam ubi talis humor va-
cua alicujus partis spatia subierit, & nervos ner-
vosaque corpora impleverit, tunc via spiritui ani-
mali, à quo vis omnis sentiendī proficiscitur, in-
tercluditur. Est autem scirrhus alius alio durior
magisque dolorificus, idque propter diversitatem
causae: quoniam in humoribus non semper par est
siccitas, crassities, & lentor, sed alij alijs sicciores,
crassiores, magisque lentī sunt. Qui scirrhus pla-
nè durus est & sine dolore, estque ortus ab humo-
re melancholico, qui simplex, nullius alterius hu-
moris particeps, is verus est atque exquisitus. Quis
talis non est, jam alterius natura particeps cense-
tur: qualis est qui ab atra bile provenit. Dolorifi-
cus enim est & canerosus. Si melancholico humo-
ri, qui excrementum est naturale, portio aliqua
vel sanguinis, vel bilis, vel pituitae sit admista, sic
quoque scirrhus producitur spurius, scil. phlegmono-
des, erysipelatodes, & œdematodes.

F I N I S.

21a 2663

ULB Halle 3
006 549 195



1009

MA

6




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Handwritten number: 15

Printed text: M
A
9.
1479
rgen-
a
IO,
ORE
fa-
CIO,
ERI.

